

in Historia Provinciae Goaxacensis 2 part. à cap. 15 usque ad 18. Agydus Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiae Goaxacensis p. 223 usque 226. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecae Occidentalis tom. 2. col. 733. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3. lib. 15 cap. 17. Episcopus Monopolitanus, & alij apud Scriptores Ordinis Praedicatorum tom. 2. ad annum 1579. pp. 251 252.

619 D. BERNARDUS ANTONIUS DE LEIVA, Natione, ut videtur, Mexicanus, ut minimumque Domicilio Angelopolitano, Caesarum Patronus, edidit vernaculo sermone

*Dissertationem juridicam pro cuiusdam Matrimonij, de cuius valore agebatur, nullitate ab Ecclesiastico Iudice declaranda.* Angelopolit. typis V. Michaelis de Artcaga. 1726 in fol. Extat tom. 3 Collect. Mendozianae.

620 F. BERNARDUS DE ARATIA, Natione & cunabulis Mexicanus, Ordinis S. Francisci alumnus, & Provinciae S. Evangelij filius, ejusdem Pater aliquando tandem merito evasit. Scholae palestram alacriter à teneris annis agressus, diu consecratus est. Lectoris Philosophiae muneri per triennium incubuit, Cathedrasque Theologiae totos annos 12 moderatus est & professus egregio inter viros Academicos nomine, demumque Emeriti lauræ exornatus. Adhuc

Concionatoris ita frequentissime onera subijce, ac si illi se professioni addixisset, doctæ & eruditæ hanc petinde ac scholasticam spartam adornans. Apostolici Notarij titulo insignis, & Censoris apud S. Inquisitionis Officium honore præclarus habetur. Provincialis electus Clarissimae Provinciae suae, ejusdem ita regimem tenuit, ut & Regulari Observantiae & litteris vigilaverit; qua defunctus Praefectura, alijs jussus insistere, ad Cœnobium de Xochimilco dictum in Mexico conditum Lacu, Guardianum agit in praesentiarum. Amicitia ut est nobis conjunctus & veteri Gymnasiorum consuetudine, quantum proprias refugiat laudes scimus, quæ propterea supersedemus. Scripsit

*Cursum Philosophicum ad mentem Subtilissimi Doctoris Scoti.*

*Tractationes Theologicas varias. Sermones panegyricos & morales.*

621 ILLMUS. D. D. BERNARDUS DE BALBUENA, Natione Hispanus, apud Valdepeñas Toletanae Diocesis Oppidum natus, à primis annis Mexico petijt, in qua studijs excultus Humanitatis, Philosophiae item atque Theologiae, post diutinum nostrates inter Domicilium, Hispaniae restituit sese. Quod verò sumptus pro capeffendâ Doctorali lauræ in Universitate Mexicanensi, ejus in Gymnasijs litteras imbiberat, egregiumque

libi

sibi nomen paraverat, largiores essent, quam ut illi suppeterent, Serguntiae Doctor, Theologus inauguratus fuit, maximeque habitus ab egregiâ doctrinâ. Latuit quidem Domicilium studiumque Mexicanum hoc Nostri & Agydium Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiae Portudivitensis & Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispaniae nova, ipsum & scripta laudantes, quod hæc inter *Magnalia Mexicea* retulerint quidem, at non legerint, hoc est, Librum eo titulo insignem, Mexici editum à Bernardo anno 1604 typis Melchioris de Ocharite; in quo Libro conceptissimis verbis, quæ memoravimus studia Mexici à se imbibita varijs ipse modis exposuit; nam fol. 31. col. 1. Collegio se, è Mexicanis uno, adscriptum testatur: tum subjungit, quo tempore studijs inibi vacaret, ter instituto certamine Poetico, lauream se & præmium tulisse: primum quidem in Festo Corporis Christi Domini coram Mexicani Concilij Patribus & Episcopis septem, Præsidente Archiepiscopo D. D. Petro Moya de Contreras, solennissimè acto, & appositissimis numeris celebri, quos autem ipse in Theatrum produxerat col. 2. ejusdem folij totoque sequenti usque ad primam col. f. 33. affert. Mox ibidem & sequenti col. aliud excipit Poema, quod ad Musarum Judices ipse detulit, spectaculorum causâ, quæ agebantur ho-

noris ergo venienti Mexicano Pro-Regi Marchioni de Villamanrique. Tandem fol. 35 & sequentibus, tertiam exponit poemam Philippo II. Hispaniarum Regi dicatam, quod virum Clarissimum D. Ludovicum de Velasco optatissimum Mexicanis Pro-Regem dedisset. Ne tamen solem facibus adjuvemus, alijs oportet superfedemus, Lectores ad Librum remittentes, qui cum totus in aperiendis Mexicanae Urbis magnalibus sit, hæc ita amoenissimis carminibus ponit ob oculos, quasi qui Mexicanus, ut dicitur, in oculis ferret, quam attentissimè circumspexerat, cuique grati significationem animi cultissimo Opusculo exhibuit. Longius forsitan in hisce morati videbimur cuiquam, nisi duo quæ subdimus advertenti alterum, è re nostra esse eximium nobis hominem vindicare, quem Collegia nostra instituerint atque Gymnasia: alterum, oportere ejus tridem gloriam aperire omnem, etiam à juventute haustâ, qui nostratum palam aperiendis dotibus vigilavit. Nec porro ipse Oratoriâ minus floruit laude, quam poetica, omnigenaque spectabilis doctrinâ Ecclesiastem egit insignem.

622 Abbatis egregio donatus munere 23 Aprilis 1608 Insulæ Jamaicae Americae nostrae, duodecim in ea annos exegit. Mox 23 Januarij 1620 Episcopus Portudivitensis electus, tertio dein anno suæ se stitit Ecclesiae.

R2

Ab

Ab eleemosynis erogatis, Evangelicâ prædicatione, gestisque alijs pastoralis muneris insigni fuit nomine. Anno 1624. Synodum coegit pro opportuna Diocesis institutione. Diocæsano Concilio apud Hispaniolam, quæ Insula S. Dominici nuncupatur, celebrato anno 1622 interfuit, cœu unus è Suffraganeis illius Metropolis atque Indiarum Primatis. Tandem, restitutus Ecclesiæ suæ, 11 Octobris 1627 ad plures abiit, eisque in Cathedrali sua corpus requievit, quam bonorum suorum hæredem voluit, ea lege, ut Sacellum construeretur in ipsa S. Bernardi nomine pro SS. Eucharistiâ aservandâ, cujus ardens religione & amore, annuos redditus consignavit pro collucente perpetuo lampade oleo fovendâ. In hoc tandem Sacellum corpus ejus translatum jacet, atque inibi pro ejus anima, Dominica cujusque mensis prima ad aras sit cum cantu; solenniori autem ritu die S. Bernardo devota, sermone habito, prædicque festivè Vesperis decantatis.

Inter ejus inedita Opera recenseri debet

*Synodus Diocæsana ab ipso habita anno 1624. in Ecclesia sua Portudivitensi*, cujus textem habemus Joannem Diez de la Calle & Agydium Gonzalez Davila locis infra indicandis: eritque, credimus, in Archivij Ecclesiasticis Portudivitensibus Mss.

Scripterat felicissimo juxtâ &

cultissimo numine, Mexici agens, trinum, quod mox dabimus, Opus poeticum, ut è præfixis Amicorum hispanis carminibus postea transcribendis, sit palam, indicantibus præterea Authorem alijs infudasse elucubrationibus luce dignissimis. Primum quidem edidit materno sermone

*Magnalia Mexicea Baccalauri Bernardi de Balbuena nuncupata Illmo. & R. D. F. Garcia de Mendoza & Zuniga Archiepiscopo Mexicano &c.* Cum privilegio, Mexici, apud Melchiorcm Ocharte anno 1604 in octavo. Unde videtur æquivocum passus D. Nicolaus Antonius, Matritensibus typis editum scribens Opusculum eo anno, nisi forsan, quod difficile est, reculum fuerit. Est autem trimembre illud, solutâque & ligatâ numeris oratione constructum. Principio, pagg. 80 constantem Epistolam exhibet Doctori D. Antonio de Avila & Cadena, Archidiacono Novæ Gallicæ, eruditione redundantem & amœnitæ pulcherrimâ cum hispani sermonis castitate elegantiaque, in Operis argumentum & nuncupationem collimantè. Deim, post introductionem à fol. 61 ad usque 219 integrum, decora Lirico carmine Mexicana decantat, ejus perbellè magnalia describens & ob oculos ponens. Denique à fol. 120 ad 140 pagg. implet 42 solutum numeris *Compendium Apologeticum in Poesos laudem*, quod appositissimâ institu-

to suo eruditione fulget & vernat, Rarus est Liber, cujus vix tria vidimus exemplaria, è quibus unum penes nos esse nobis met gratulamur, operantes curantesque etiam, ut iteratis typis usui esse multis possit.

Scriptit quoque Mexici, ediditque Matriti Bucolicum opus decem Eclogis constans,

*Aurum seculum in silvis Eriphiles.* Matriti 1608 in octavo. Quod D. Nicolaus Antonius recenset, & nos hæcenus fugit.

*Bernardum, seu Victoriam ad Rocidam vallem heroico poemate decantatam.* Mantua: Carpentanorum, apud Didacum Flamenco 1624, in quarto, spisso volumine, quod in Bibliotheca vidimus Collegij Maximi Mexicani Societatis JESU. Et de hoc tradita à Nicolao Antonio crisis transcribenda nobis visa est, facturaque operæ pretium. Ita illa habet. *Quod quidem in angulis bibliopolarum delirescens, non sine quadam animi indignatione, laude dignis laboribus æqui, sæpe vidimus, lectum paucis auditumve. Cum sanè carminis majestate fere continuo exurgat, rerum adinventionem ac varietatem plurimum delectet, orationis perspicuitate & castitate nulli cedat: comparationum verò appositissimarum usu, descriptionum elegantia, Geographica Astronomicaque rei locorum pulcherrimâ tractatione, mira que exprimendi, ferreque oculis subjiciendi, quod tam longe à conspectu est, virtute, mea quidem sententia nostros Poetas om-*

*nes (quod præscinè dictum) longo post se reliquat intervallo. Hæc ille, qui, post pauca subjungit: De eo Lupus Felix de Vega Carpio in sua Apollinis lauro sic olim canebat.*

*Y siempre dulce tu memoria sea  
Generoso Prelado,  
Doctissimo Bernardo de Balbuena.  
Tenias tu el cayado  
De Puertorico quando el ciego Enrique,  
Olandes rebelado,  
Robò tu Libreria:  
Pero tu ingenio no, que no podia,  
Aunque las fuerzas del olvido aplique:  
Que bien cãstaste al Español Bernardo!  
Que bien al siglo de oro!  
Tu fuisse su Prelado y su tesoro:  
Y tesoro tan rico en Puertorico,  
Que nunca Puertorico fue tan rico.*

His annexere lubet quos supra promissimus Mexicanis magnalibus à Mexicanis item vaticibus præfixos in Bernardi laudem & Operum numeros. Licentia-tus Michael de Zaldiverna hunc in modum occinuit.

*Espiritu gentil, luz de la tierra,  
Sol del Parnaso, lustre de su choro,  
no seas mas avariento del tesoro,  
q̄ esse gallardo entendimiento encierra.  
Ya Erisile suè à España, descencierra  
de esse tu Potosi de venas de oro  
el valiente Bernardo, y con sonoro  
verso el valor de su Española guerra,  
No te quedes en sola esta Grandexa,  
danos tu universal Cosmographia  
de antiguedades y primores llena.*

*Del Divino Christiados la alteza  
de Laura, el arte nuevo de Poesia,  
y sepa el mundo ya quien es Balbuena.*

Nec piger Franciscum de Balbuena Elstrada Bernardi fratrem, ejus in encomium ludentem excipere.

*Llegò aqui un Hidalgo un dia  
Persona grave y anciana,  
Que por gran cosa traia  
Un librito que decia:  
La Grandeza Mexicana.  
Vino à mi de mano en mano,  
Y en oyendo el cortesano  
Esfilo, dixè, Parad,  
Y decidme: Esta deidad  
Es de Homero, ò de mi Hermano?  
No se, más de polo à polo  
Dixo es bien que esta voz suene,  
Que es de mi Patria el Apolo,  
Y ella mayor por èl solo,  
Que por quanto sin èl tiene.  
Fue dicho sabio y profundo,  
Y Yo en lo mismo me fundo,  
Para solo me preciar  
De quien hà podido homrar  
La mejor Ciudad del mundo.*

Alijs supercedemus, ne multi situs. Ejus meminere, præter citatos Agydium Gonzalez Davila & Nicolaum Antonium, Antonius de Leon Pinelo in Epit. Bibliothecæ Occid. tom. 2. col. 693. Joannes Diez de la Calle in Monumentis indicis fol. 19. col. 1. fol. 23. col. 2. Carolus de Siguenza in Triumpho Partenico fol. 4. col. 2.

623 D. BERNARDUS (vulgo BERNAL) DIAZ DEL CASTILLO, Natione Hispanus, Methymnam Vacciæ Patriam fortitus, non uno duntaxat nomine illustriorem reddidit, ense juxta calamoque notissimus, quibus usus est instrumentis pro Mexicea Expugnatione juxta & Historia Mexicanum, si quis ullus, Domicilium, incredibili labore, plenoque alicæ, ac multo conflictu quaesivit, ad extremumque tenuit. Unus is fuit è fortissimis inclyti Ferdinandi Cortezij asseclis, huic qui statim ab initâ Novæ Hispaniæ expeditione ad finem usque firmius hæserè. Priusquam verò incomparabilis Bellidux Ferdinandus hanc aggredetur spartam anno 1519; Bernardus semel anno 1517 Franciscum Hernandez de Cordova Clasis infectus Præfectum, iterumque anno 1518 Joannem de Grijalva Ducem comitatus, in Novam Hispaniam conquiritendam enavigaverat. Sub Cortezij Signis, multis, Hercle, militaribus actis inclaruit, quibus egregium animi robur prodidit, immortalique Hispanorum nomini, ac, quod prius est, Catholicæ Ecclesiæ incremento & gloriæ consuluit. Undeviginti supra centum pugnis bellicisque concertationibus, plerisque accerrimè utrinque initis Indos inter & Hispanos, interfuit, vulneribus non semel acceptis, effusioque cruore, & immensis exantlatis laboribus, quos

& ipse scriptis suis tradidit, & testibus instrumentisque productis apud Regium Consilium firmavit, ac insuper Clarissimi viri D. Ferdinandus Cortezius & D. Antonius de Mendoza, Mexiceus Pro-Rex, suis ad Carolum V datis Epistolis confirmarunt, Casarque ipse benemeritissimo militi, rureque jam donato, honoribus & bonis voluit provivum iri.

624 Sedem suam apud inclytam Goatemalensem Equitum Urbem tandem defixit, ejus inter adscriptus Rectores præclaros, ubi etiam postremam in senectute bona diem vixit. Historiam Expugnationis Novæ Hispaniæ adornavit, crasâ quidem Minervâ, sed proprio Marte, nullis certè calamitris fucatum, aut cerussâ verborum comptam, stylo licet horrido, militem neutiquam dedecente, cujus pertractandis armis asfueti digiti, Tractatus Commentariaque ferreo stylo dederint, mirum non esse debet. Porro quantum ipsum eriminentur non nulli, hosque inter cultissimos Historiographus D. Antonius de Solis, ejusdem argumento Mexicana Oppugnationis intentus; è re nostra est paucis ejus agere partes, absolutionemque procurare. Quod enim de sua non raro sorte conquestus, Ducem unâ Clarissimum Cortezium insimulet, cujus ceterâ gloriæ & nomini consulit: Quod propriam sepe laudem affectet, decusque res-

quirat: Quod similes in Libro suo nævos viri Critici offendant; crimina sunt facile homini condonanda militiam secuto, qui que divitijs aucupandis & famam vitam in mille sæpius pericula sanguinemque consecerit, nil tamen antiquius habuerit, quam pro Deo ejusque Catholica Fide augendâ in vastissimis regionibus alicam subire. Imò grates sunt illi ex animo habendæ agendæque plures, quod incredibilem Hispanorum audaciam, atque opus post hominum memoriam, si quis ullum, insigne & mirandum, minutatim scripserit, actis que lucem multis dederit, queis interfuit, cæteroque in memoria abolendis, vel in ancipiti semper mansuris. Scripsit itaque sermone materno

*Veram Historiam Expugnationis Hispaniæ Novæ.* Cujus authographum penes publica Urbis Goatemalensis tabullaria asservari ab Amicis inibi degentibus novimus. Absolutum fuisse Opus 27 Februarij anno 1568 Auctor ipse scripsit in Proæmio, in quo errata se correpturum pollicetur coramque daturum, quæ Franciscus Lopez de Gomara, Doctor Illescas, & Illmûs Paulus Jovius in suis ad Indiarum res pertinentibus Scriptis incurrerant rumoribus delusi & corruptis narrationibus, quibus Historiam suam Noster opponit de rebus majorem partem à se visis, & acceptis ab ijs qui etiam oculis ufur-

paverant. Apographum in Hispania dimissum, è Bibliotheca eruditissimi Viri Regijque Consiliarij D. Laurentij Ramirez de Prado erutum, typis commissit M. F. Alphonfus Remon Ord. B. V. M. de Mercede Chronograpus generalis. Mantue, Carpentanorum ex Typographia Regni anno 1632 in fol. Cujus Operis meminere & Authoris D. Nicolaus Antonius in Bibliot. Hispaniæ nova tom. 1. pag. 175. D. Antonius de Leon Pinelo in Epit. Bibliot. Occid. tom. 2. col. 604. Ubi querelæ memor institutæ à D. Francisco Antonio de Fuentes & Guzman tertio Authoris Nepote, in Proœmio Historiæ Goatemalensis Mss, de adulterato typis Bernardi sui Opere, cum authographo, quod penes se habebat, collato, ei satisfacit, quod cum rerum summam & capita variationes non tangant, parvi ducendæ sunt, forsânque ab Authore ipso in Libri transcriptione consulto factæ. Eisdem querelas habet P. F. Franciscus Vazquez in Chron. Provinciæ Goatemalensis Franciscanorum tom. 1. lib. 1. cap. 2. præcipue pag. 12.

625 D. BERNARDUS DE FRIAS, Natione, ut credimus, Mexicanus, incerta nobis Patria, Goadalaxarensis Ecclesiæ, quæ Cathedralis est Regni Novæ Galliciæ Canonicus, edidit vernacule  
Panegyrim de S. Michael. Ar-

changelo ejusdem Regni Patrone Mexici, typis Joannis Ruiz 1667 in quarto.

626 F. BERNARDUS DE LIZANA, Natione Hispanus, Ocaniæ Villa Regni Toletani ortus, in patrio Conventu Franciscanorum Provinciæ Castellani Seraphici Parentis instituta sectatus, in Jucatanensem ejusdem Ordinis Familiam anno 1606 transiit. Indorum Regionis illius Linguam penitissimè calluit, cujus pro inde Magisterium multis annis egregio discipulorum profectu & commodo gentis exercuit. Hispano sermone doctè concionabatur atque delucidè pro Hispanorum eruditione. Quod verò nil antiquius haberet, quam ut Indi in sacris & devotis proficerent, ijs auditoribus frequentissimè è superiori loco dicebat, & ut Religiosi Parochi, pro suo quisque munere, illorum institutioni vigilarent, & christianam doctrinam palam exponerent, hortabatur urgebatque Dei judicis horrore, siqui forent, segnes percellens, & officij admonens: quo nomine dicere solebat sperare se Dei misericordiâ fovendum. Humanitate insignis & mansuetudine, acceptissimus erat omnibus, Sodalesque inter Præfecturis inclauit, futuras, ut dicebatur, in comitijs proximè cogendis Provincialis, ni quæ ipsum interceptit mors, prohibuisset. Aegritudinem patienter admodum toleravit, rogabatque invicentem cum

Antem *Lingua Mexicana dilecto qua Cinaloensis ora maritime Indi utuntur*, quam typis paratam habere à gravissimis viris accepimus.

628 FR. BERNARDUS DE RIBAS, Natione Hispanus, Patria Burgenfis, Seraphici Parentis Regulam nuncupatis votis sequutus, è Provincia, quæ nos latet, Hispaniæ, in Jucatanensem ejusdem Ordinis contulit se, cui etiam præfuit, postquam Emeriti Lectoris tulerat lauream, Commissariumque egerat pro visitandâ Goatemalensi Franciscanâ Familiâ. Publici juris fecit conciones duas, alteram

*De Magno Ecclesiæ Doctore S. Augustino*, Mexici, ex Typographia V. Francisci Rodriguez Lupercio 1699 in quarto.

Alteram *De SS. V. Mariæ transfixione seu doloribus*, Mexici, eisdem typis & anno.

*Tractationes Theologicas ejus & Philosophicas, ceterasque Conciones* hîc addant Sodales Authoris ambibus.

629 D. BERNARDUS DE

RIOFRIO, Natione Mexicanus, cujus in ancipiti nobis est Patria, Mexicæ Universitatis alumnus studijs apprime excoltus Humanioribus, doctusque Philosophicis, Juris professionem utriusque fecit tanto progressu, ut Licentiæ gradum in Canonica Facultate detulerit, Causidicusque apud Regium Senaturn, Auditorum suffragijs Judicium, renun-

Tttt

cia-

riatus fuerit. Cathedris Academicis & Ecclesiarum Canonicatibus perennis incubuit, donec in Vallisolerana Michoacanensium Ecclesia, prælectionibus idque genus statutis alijs periculis, Doctoralem, ut dicitur, pro Ecclesia asserendis juribus tenuit. Strenuè functus munere, præter scripta<sup>o</sup> collimantia, operam etiam posuit in Mexicanam Curiam à Capitulo suo Procurator Generalis dimissus. Dein auctus dignitate, à Thesauris fuit ejusdem Ecclesie, cujus in gremio denatus, nomen post se bonum reliquit, & è multis scriptis suis, quæ subnectimus edidit. Latino sermone

*Centonicum Virgilianum Monumentum mirabilis Apparitionis Purissimæ Virginis Mariæ de Guadalupe extramuros Civitatis Mexicanae Mexici, ex Calcographia Francisci Rodriguez Lupercio anno 1680 in folio.*

Est quidem Centonicum hoc monumentum, antæmissimū Poema è Latinorum Principis varum segmentis ingeniosè confutum, describendi ergo floridissimam Deiparentis Imaginem jam inde ab anno 1531 Mexici repente apparentem coram Venerabili Viro Illmo D. D. Joanne de Zumarraga, primo Episcopo Archiepiscopoque Mexico, quæ videlicet cœlestis Imago mirè in pallio Indi depicta fuit, quod è collo pendebat, in quodque flores ipse vividos, & pulchros in-

jecerat, quos, jubente Dei Matre ipsum allocuta, enatos in asperissimo monte, illis alijsve ferendis assueto nunquam, saviente hyeme mensè Decembri, fauste collégerat, Episcopo oblaturus in signum apparentis Deigenitricis. Templumque ut inibi montis extrueretur dicentis. Hecle, uti Noster in hoc Opusculo prodigio similem describit Imaginem, quæ non sine jugi miraculo per duo secula annosque unum supra viginti illata persistit, nullam temporis injuriam experta, telè licet innixa admodum debili, corruptionique obnoxia, atque in solo saxi etiam & metallis corroden- dis aptissimos, ita pietatis lææ adversus Dei Matrem, eruditionis & ingenij iconem expressit, quæ edax rerum nequeat abolere vultas.

Hispano sermone edidit

*Pro V. Decano & Capitulo Vallisolerana Ecclesie Michoacanensium, seu geminæ hospitalis domus Patrono, defensionem. Mexici, 1688 tacito typographi nomine, in folio. Extat tom. 41. Collectionis Mendozaianæ.*

*Dissertationem pro eadem Ecclesia in negotio ejusdem fabricæ materialis, in cujus favorem data Regia schedula extendenda magis, quam restringenda defenditur. Mexici, eodem anno 1688 in fol. Habetur ab eodem Mendoza inter scripta non dum cum alijs compaginata.*

† 630 D. BERNARDUS ROMERO, Natione Mexicanus & Patria,

tria, post datam strenuè à primis annis operam Latinitati haurienda: & Philosophiæ, Gymnasia Academicæ & Collegij Seminarij à S. Paulo & Purissima Conceptione frequentans, lauream adeptus, totum se ad utrumque Jus addiscendum tradidit felici successu, ut subinde Doctoratus in Canonica Facultate pileum detulerit, atque egestià comparatus doctrinâ pro regendis Cathedris egerit candidaturam. Vespertinè Imperialium Legum ad quadriennium præfectus, mox Clementinarum provinciam interpretandarum suscepit, quam tandiu excoluit, donec Canonicatum Doctoralem in Ecclesia Vallisolerana Michoacanensium, contententibus doctis alijs viris, obtinuit. Sacerdotio defungens eo, Vicarius Generalis Diocesis ejusdem institutus est ab Illmo. D. D. D. Martino de Elizacoehca, Episcopo Michoacanensi, quod diu manus peregit juxta que Doctoralis officia, luctus jam diu multis incumbere; nam his quæ diximus, Causidici partes adjunxit à Senatoribus Regijs probati, pro ea quæ decet Ecclesiasticos viros moderatione; & prædicandi verbum Dei potestate sibi factâ usus, animatum commodis vigilavit, in Mexicis suburbij christiana pauperibus documenta ministrans. Demum, piè tractatam vitam, sacris expiatus omnibus conclusit Mexici, quò valetudinis gratiâ curan-

dæ paulo antea devenerat, hoc anno 1752. Funus ejus Illmū. Capitulum Metropolitanum nostrum, quæ Sodales suos pompâ profequitur, accuravit in Templo nostro, undè mox in Oratorianum elatus pro eximia adversus Sanctum Parentem Philippum religione ibidem quiescit. Scripsit quæ ex Academicis Libris habemus

*Commentaria in Titulum de vulgari & pupillari substitutione.*

*Commentaria in Titulum de Testibus.*

*Allegationes præterea hispano sermone varias in punctis juris, quas penes suos esse credimus Mss.*

631 D. BERNARDUS DE YUN IBARBIA, Natione Hispanus, in Villa Legorreta Provinciæ Guipuscoanæ nobilibus admodum parentibus ortus, Domicilio & studijs Mexicanus, vir fuit in paucis à virtute & scientiâ Clarissimus. Parentem comitatus Regiæ Procuratoris nomine in Portum à Vera-Cruce dictum venientem, præsidarios inter milites ipse obtemperaturus genitori, qui genio erat martiali, ducentque egerat Regiæ tiremis, adscriptus fuit. Quadriennio transacto Mexicum deductus, Ecclesiastico, quem in votis habuerat statui, idoneum ut se redderet, Grammaticam avidissime hausit, qua imbutus, nomen dedit Universitati & Collegio Maximo Soc. JESU pro imbibendâ Philosophiâ, cujus laureâ donatus

rus fuit, atque id consequutus honoris, quod decerni in Scholis nostris solet tribus reliquos inter Socios studij eminentioribus. Mox Theologia non minorem operam dedit, in qua Academico ritu Baccalaureus formatus, Doctoratui proludens, huic propterea subduxit se, quod, Sacerdotio initiatus, jamque audiendis confessionibus sacris, & concionandi muneri cum laude deditus, instituto candidatorum pro regendis Parœijs concursu, eam perpetuo titulo iussus fuerit curare, quæ procul disita à Mexico, Argentifodinarium de Sul-tepec dicitur, estque nomine insignis.

632 Ubi eò se contulit, totum se parochiali mancipavit officio, quod 39 annos ibi Mexici que sanctè ad obitum usque fuit profecutus. Perantiqua est quidem illa Parœcia, jam inde à temporibus primi Archiepiscopi Mexicani V. D. F. Joannis de Zumarraga instituta, cujus subinde Templum vetustate collabens, statim non sarcire modò curavit, sed instaurare penitus firmissimis muris & contignatione, insuperque sacris paramentis, argenteis vasis, omnique suppellectili Ecclesiasticâ paulatim instructe, donec fere ad magnificentiam & pompam ornavit. Erat sanè egregia religione, quam ut in Hispanos, Indos, cæterosque paracos transfunderet, nullis laboris pepercit, ac sumptibus, Eccle-

siâs. Adiculasque factas omnes 33 numero in ditione sua, quarè porrigitur, pridem extractas, Altaribus, Imaginibus, ornamentisque omnibus instruens, totasque undecim de novo Ecclesiâs ædificans, reliquas sarcians, & cuique opportunè ad divinum providens cultum. De populorum eruditione sollicitus, christianam doctrinam pueris, coram frequentissimâ multitudine, instillabat. Præceptores singulis in Pagis, pro ut Regijs cautum est schedulis, deligebat, adultis è superiori loco dicebat, paratis multo studio & scriptis concionibus, singulis dominicis diebus.

633 Insuper, pluries pro componendis moribus, qua erat in dicendo vi & energia, prædicabat, Orationibus etiam panegyricis Deum, Purissimam Virginem, Cœlestesque concolebrans, atque unâ auditores ad virtutes sectandas, declinandaque vitia vehementer adhortans. Ad aras quotidie faciebat devotissimè, & exactissimè ad sacros ritus, quorum, etiam minorum, praxi reverentiæque invigilabat, Sacramenta ut administraret omnia promptissimus erat noctu diuque, multis sæpe disita parafangis Oppida petens, atque aspera complura itinerum temporumque incommoda devorans. Sodalitates pridem erectas fovit, & Indulgentias pro eis adscriptis aperuit, in primis autem à Rosario nuncupatam, quæ in-

meris Pontifici beneficijs scateret. Judicis Ecclesiastici munere unâ functus cum Parochiali, offendicula quæque avertere satagebat, comitate potius & mansuetudine usus quam strepitu Fori.

634 Hanc ut annis 19 provinciam obierat, Mexicum evocatus ab Illmò. Præsule D. D. F. Josepho de Lanciego & Egulaz, cui propterea cordi erat, quod ejus conscius esset doctrinæ & virtutis zelique in Parochiali officio, à S. Catharina nuncupatæ Ecclesiæ, quæ intra Mexicæ pomaria est, præficitur, quam ipse non secus curavit ac Sul-tepequensem instruxerat. Nâ solo æquatam antiquum, jacta que pro magnifico Templo fundamenta invenit, queis toto nisu muros superstruxit, Sacrarium idque genus alia aggressus est, unaque suppellectilem adornare, pueros, statutis diebus, catechesi instruere, concionari Dominica quaque, quadragenarij jejuniij tempore ferventius è Pulpito dicere, omnibusque omnia ovibus suis fieri, præter Deum & commissum sibi ministerium alia fastidians. Hinc, reluctantem licet atque marentem, ut oculati testes sumus, Capitulum Mexicanum, Sede-Vacante, in Parochiam, quæ Primariæ vix concedit, S. Michaelis promovet, recens ædificatam, ornarique multo apparatu ceptam. Nec sanè paracis gratius quidquam accidit & jucundius, gratulantibus

sibi noctis munimem Sanctum eorum saluti invigilaturum.

635 Nihilo ipse sibi dissimilis, adyta pulcherrimis multo sumptu picturis ornavit utrimque, Sacrarium patiter instruxit, Sacellum pro Eucharistiâ servandâ Baptisteriumque appositis imaginibus sacris, eruditè juxta que piè ob oculos intuentium ponentibus ea que peragi mysteria in sacris his locis contuescunt. Catechesim, conciones, cæterosque sermones de more suo prætermisit nunquam. Confessiones ut exciperet, sive in Ecclesia sua, sive in ædibus languentium, promptissimus quamquam semper fuisset, nunquam tamen, aut exactius, aut laboriosius huic oneri incubuit, quam sevientem Mexici luc annis 1736 & 1737, quæ innumeris propemodum Indis, Hispanis, cæterisque exitialis fuit & mortifera. Ordinarijs Coadjutoribus, quos abundè perpetuò habuerat, longè plures ea tempestate accersivit infirmis sacramenta ministraturos, quibus diu noctuque discurrentibus, haud propterea longam ipse quietem sibi captabat, imò nocturnum tempus, alij ut paululum cubarent, sibi delegerat expiatio ægrotas animas, sacra synaxi, & postremâ unctione recreaturo.

636 Adhæc, nominatim vocatus à multis, renuentibus apud alios Sacerdotes vulnera aperire animi, morem gerebat, humanif-

simè pralongis aures confessio-  
nibus commodans, atque imple-  
xos exolvens nodos, quos ad de-  
cennium, viscennium, & longius  
etiam tempus protracta pœnitentia,  
aut irrito conatu petita abso-  
lutio texuerat: illo interim gratu-  
lante sibi suam fortem proximos  
in majori causâ juvandi, nun-  
quamque alacrior atque vegetior,  
quam ubi egoram 45 annis ani-  
mam, nulla toto eo tempore,  
aut, quod deterius est, improbè  
factâ confessione sacrâ, patientis-  
simè juxtâ & scitissimè audi-  
tam, vitâ restituit. Valetudina-  
rio intra Parochiæ fines suæ ge-  
mino constructo, opportunè de  
sacris providit: Cæmeteria pro  
lumandis cadaveribus longè dis-  
fita benedixit, in quæ efferti  
non fatigatione tantum, sed  
sumptu etiam erogato sarcgit:  
Supplicationes instituit & noven-  
dialia sacra multa religione &  
pietate, quam ut & paræci dis-  
cerent, fervidas è superiori loco  
concionis habuit, illos ad pœni-  
tentiam, elemosynam, omnem  
que virtutem hortatus. Quæ  
omnia obiisse hominem septua-  
genario longè majorem, totque  
defatigationibus & studijs attri-  
tum, ejus robur spiritus & exi-  
miam in gerendo munere dili-  
gentiam unâque charitatem pa-  
lam exponit. Magno semper fuit  
nonine à dicendi peritiâ, do-  
ctrinâque omni Theologicâ: nec  
minus ipsi peperit decus Eccle-  
siastico dignissima vita, qua mora-

tis quibusque adificationi erat,  
habebaturque ceu Clerici exem-  
plar & Parochi.

637 Humillimus, interim  
ipse ab omni fastu alienus &  
captandâ gloriolâ, Dei unius  
quærebat honorem, salutî ani-  
marum inhiabat, pauperibus con-  
sulebat, ijs in primis qui litteris  
operam dabant, quorum do-  
mî suæ dixeris habuisse. Colle-  
gium, sex octove in eam tradu-  
ctis & alitis. Eximiâ in Divos  
pietate, sacram singulari amore  
Familiam prosequabatur, aliosque  
preterea Cœlicolas, Joannem Bap-  
tistam, Catharinam Martyrem,  
Michaelem Archangelum, Ber-  
nardum, Ignatium de Loiola &  
Philippum Nerium, Jesuitis Ora-  
torianisque Patribus addictissi-  
mus. Porro tam erat ille exem-  
plis conspicuus, ut P. Alexander  
Romanus Societatis JESU Pro-  
vinciæ Mexicanæ Præpositus, vir  
egregius, dicere haud dubitave-  
rit, mirum sibi futurum neuti-  
quam, si Bernardo moriente, sua  
æ campanum sponte sonaret,  
viri sanctitatem indicaturum.  
Quamquam verò obmuterit  
illud, mota repente terra, ani-  
mam illo agente, visa est pretio-  
sam hominis mortem indicare,  
ut in Ecclesiasticis tabulis legi-  
mus evenisse in obitu S. Paulini  
Nolani Episcopi. Nolter morbo  
apoplexiæ simili correptus, excel-  
sit die 26 Junij 1739, ætatis 76,  
& proxima die elatus fuit in Pa-  
rochiam suam, tam insigni Cle-

ri frequentia funus Ecclesiastico  
ritu agentis, vix ut similis spe-  
rari possit nisi in Episcopi jultis.  
Procurarunt illud Cathedralis Ec-  
clesiæ Parochi Socialitatis gratiâ  
& obsequij, in primisque D. D.  
Joannes Josephus de la Mota  
corum antiquior, qui ultro se  
obtulit officio peragendo, con-  
currentibus multis è religiosis Fa-  
milijs viris, nobilibus, & popu-  
li conferatissimâ multitudine, qui-  
bus Bernardus pergratus erat om-  
nibus & verendus egregiæ po-  
tissimum virtutis nomine. Ejus  
nos consuetudine usi familiaris-  
simè, à quo lustricum nomen  
accepimus de licentiâ Metropo-  
litani Curionis; in postremis ta-  
bulis hæredes instituti, compa-  
ratum æs è divendita Bibliotheca  
sua, in qua, ut delicia sic  
etiam thesauri ipsi erant omnes,  
ornatui Ecclesiæ, quam extremis  
annis rexerat, S. Michaelis addi-  
ximus, elucubrationibus proprio  
ejus caractere cunctis penes nos  
reservatis, quarum propterea in-  
dicem teximus accuratum. Edi-  
dit idiomate hispano unicum

*Sermonem Eucharisticum pro in-  
signibus à Catholico Rege nostro Phi-  
lippo V reportatis victorijs habitum  
in Parochia Sultepequensi.* Mexici  
typis H. Joannis Josephi Guillé-  
na Carralcoso 1711 in quarto.  
Extat tom. 24 Collect. nostræ.

Scriptit verò tomos 21. quo-  
rum alij Expositionem Doctrinæ  
Christianæ multis doctis & eru-  
ditis concionibus exhibent: alij

plures sacros Panegyricos conti-  
nent; cæteri, Sermones pro in-  
strucendis moribus, multâ om-  
nes doctrinâ referti, & ad chris-  
tianiæ præcepta oratoricè formati  
hispano sermone complectuntur.  
Ita illi habent.

*Expositio Symboli Apostolorum*  
Tomis 2.

*Expositio septem Ecclesiæ Sacra-  
mentorum* Tomis 2.

*Expositio decem Præceptorum De-  
calogi* Tom. 1.

*Sermonum in Festis Beatissima  
Trinitatis & Christi Domini* To-  
mi 2.

*Sermonum de SS. Eucharistiæ Sa-  
cramento* Tom. 1.

*Sermonum de Sanctis* Tom. 3.

*Sermonum de varijs argumentis*  
Tom. 1.

*Sermonum Quadragesimalium*  
Tom. 4.

*Sermonum de patientibus expia-  
torum ignem animabus* Tom. 1.

*Concionum variarum* Tom. 3.

Meminic ejus multa cum lau-  
de D. Caictanus de Cabrera in  
Gentilicij Mexicanensibus, seu  
de Guadalupana Deiparentis Ima-  
gine tom. in fol. à n. 476 ad  
479 inclusive plura ex his quæ  
scripsimus bono in lumine collo-  
cans.

638 D. BLASIUS DE AR-  
TEAGA, Natione Mexicanus &  
Patria, è nobili Domo progeni-  
tus, unus nobis pro tota Gram-  
maticâ addiscendâ Præceptor fuit,  
quem ad nostras quotidie ædes,  
ceu ad litterarium ludum, huma-  
nif-

nissimè venientem audivimus, & tenerrimè ex corde dileximus. Præbiter fuit egregiâ pietatè conspicuus. Latinitatem hauserat Philosophiamque à Magistris Societatis JESU in Collegio Maximo Mexicano, Theologiam & laurea in Academia nostra rerulerat. Instituto juxta Tridentini Decreta Concilij Seminario Metropolitana Ecclesiæ Collegio primos inter Grammaticæ Professores accitus, instituendæ juventuti strenuam multis annis operam dedit, matutinis vespertinisque lectionibus quotidianis incubens. Quidquid ipsi reliquum erat temporis piacularibus excipiendis confessionibus in Cathedrali Ecclesiâ & in Sanctimonialium Monasterijs pro Dei gloria & salutè animarum ultrò ponebat. A Gymnasijs translatus regendis ad Cynæci Præfecturam, quam ei superno illustratus lumine prænuñciarat vir Clarissimus, de quo scripturè sumus in loco, P. Dominicus Pérez de Barcia, Collegium Bethlemiticum à S. Michaele dictum, ad mortem usque rexit. Ad aras quotidie faciebat, foeminarum confessiones sacras plurimum audiebat ex ijs quæ claustrum inhabitant plusquam 200 numero, omniumque spiritualibus ac temporalibus commodis vigilabat, paternâ eis providens charitate. Ut successores sibi in munere Socium haberent, gravissimumque onus ipse levarer, Sacerdotij census proprio ære in-

stituendos à morte reliquit Præbitero destinatos alendo, qui auxilio esset Rectori Collegij, jure Patronatus futuro penes Præpositum ac Patres Congregationis S. Philippi Neri, quibus ad dictissimus fuerat, quorumque in Ecclesia sepultus requiescit. Obijt in Domino die 13 Januarij 1736. Scripsit.

*Animadversiones pro Latina Sintaxi callendâ*, quibus, manu nostra transcriptis, usi sumus Latinitatis tyrocinium agentes. Meminit ejus P. Julianus Gutierrez Davila in Monum. Hist. Congregationis Oratorij Mexicanensis p. 1. n. marg. 573.

✦ 639 F. BLASIUS MORALES, Natione Mexicanus, Patria Goatemalensis, Provinciâ inibi florentis Observantiæ S. Francisci sub SS. JESU Nomine filius, vir fuit ne dum omni instructus Theologiâ, sed verò etiam in utroque jure valdè eruditus, juxtaque pius, uti ex scriptis ejus imeditis conjectu est pronum. Sunt illa quidem sequentia.

*In varios Canonici & Civillis juris titulos animadversiones.*

*De Theologiâ Dogmaticâ.*

*De Immaculatâ Deiparentis Virginis Conceptione.*

Quæ tria Opuscula spisso uno volumine custodiuntur in Bibliot. Primarij Cænob. Franciscanorum de Goatemala; in qua itidem habetur ejusdem Authoris Liber alter ad Scholasticam Facultatem spectans,

*De Divinis Personis*, non de eo. Ut author nobis est P. Archidiaconi in de Scriptoribus ejusdem Provinciæ Sillabo in 4 Articuli eorum qui Latino idioma elucubrationes suas adornarunt.

640 FR. BLASIUS DE PULGAR, Natione Hispanus, Provinciâ S. Evangelij Regularis Observantiæ Seraphici Parentis alumnus, in quam Emeriti Lectoris Sacræ Theologiæ titulo donatus, ab admodum R. P. E. Antonio Cardona Commissario Indiarum generali, postmodum Illmo. Archiepiscopo Valentino, dimissus, Primatiam rexit Cathedram Meccicæ Cænobij, juxtaque sacro ad dictus fugelut, multam à sapientissimis viris retulit laudem. Hos inter P. Joannes de Goicochea Societatis JESU Theologus, & in Oratoria Facultate Magister percelebris, in Censura præfixa concionibus post Blasij funus in lucem eductis, ipsas ceterasque authoris plurimi facit, testatus, dignissimas esse hominis qui prophanos unâ sacrosque Oratores imitatus fuerit graviores, nec arte minus esse conspicuas, quam argumentorum pondere, rerumque & sententiarum ubertate, in Dei & Sanctorum gloriam, auditorumque profectum tendentes aptillimasque. Præter hæc Apostolicam hominis, satis jam defuncti, vitam multis commendat, Deo chari, proximorumque bono dediti. A Mexicis Fidei Judicibus Censor delectus fuit,

& à Provinciæ Superioribus Primarijs Conventibus Guardianus datus, Diffinitoresque inter scriptus. Obijt defuncte seculi hujus anno 9 vel incunte 10 ex memoratâ Censurâ colligimus, cum alijs, & Operis postremo recensendi loco, nuncupatoria ac proœmio; vivente adhuc Authore anno 9 adornatis. Edidit hispano sermone

*Orationem Pægricam & Declamationem Funebrem in Exequijs actis in Conventu S. Francisci Catholico Hispaniarum Regi Carolo II. Mexici ex Typographia V. Francisci Rodriguez Lupercio 1701 in quarto. Exat tom. 271 collect. nostræ.*

*Orationem Eucharisticam Deo Deiparentique Virgini, sub Imagine nuncupatâ à Remedis, habitam in Cathedrali Ecclesiâ Mexicæ pro navali Ludovici I Hispaniarum Principis. Mexici typis V. Michælis de Ribera 1708 in quarto. Habetur tom. 53 dictæ Collectæ.*

*Sermones sex in Canticum Salve Regina, habitos in Sacello Mexiceo Cantabrorum de Aranzazu dicto. Mexici, eisdem typis 1710 in 4. Exat tom. ejusdem Colli.*

Majoris Opera voluminis scripsisse, ipse Author in Proœmio insinuato fatetur, quorum tituli & argumenta nos fugiunt, existimamus verò & ad Philosophiam Theologiamque spectare & ad Oratoriam Sacram.

Meminit ejus Bibliotheca Franciscana tom. 3 in Appendicibus